



ANN. XIX - FASC. VIII-IX

MENSE AUGUSTO ET SEPTEMBRI MCMXXXII

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-
siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea
facile agendis.

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis,
cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellarum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXII Fasc. VIII-IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De verbis eleganter usurpandis.

Agemus: 1º de numero verborum; 2º de conjugatione seu voce verborum; 3º de temporibus verborum; 4º de modis verborum.

a) De numero verborum.

I. — Quum eidem verbo duo aut plures sunt nominativi singularis numeri, qui omnes sunt tertiae personae, verbum effertur:

a) numero plurali, si nominativi logice plures sunt;² v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) Idem nominativus singularis, si semel saltem subaudiatur, verbum habere potest in numero plurali; v. g.: *Legio Martia quartaque (legio) rempublicam defendunt* (Cic.).

b) Post plura nomina virorum propria, legitur nonnunquam verbum in singulari; v. g.: *Dixit hoc apud vos Zosippus et Ismenias*, homines nobilissimi (Cic., *Verr.*, IV, 42). — *Visus est Sulpicius et Cotta*, utrius oratio proprius ad veritatem videretur accedere (Cic., *De or.*, I, 62). — *Hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur* (C.c.). — *Huic senatus-consulto intercessit C. Caelius, C. Pansa, tribuni plebis* (Cic.).

N.B. — Numerus singularis legitur etiam cum nominibus appellativis, etsi nominativi, non modo grammaticæ, verum etiam logice plures sunt; v. g.: *Et proavus L. Murenae et avus praetor fuit* (Cic., *Pro Murena*).

Pater et avus mortui sunt.
Castor et Pollux ex equis pugnabant (Cic., *De Nat. deor.*, 2, 6).

Syphax regnumque eius in potestate Romanorum erant.

Fervent linguaque corque mero (Ov., *Fast.*, II, 732).

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant (Phaed., I, 1).

Non cibus, non humor, non vigilia, non somnus sine mensura quadam prorsus (Sen.).

b) numero singulari, si nominativi unum quid denotant, sive notionem unicam exprimunt, sive notiones analogas, quibus una notio principalis formetur;¹ v. g.:

c) Intercedente praepositione «cum», historici frequenter utuntur verbo plurali, quando praepositione «cum» annexitur substantivum plurale; v. g.: *Ipse dux cum principibus capiuntur* (T. L., XXI, 70). — *Lentulus cum ceteris constituerant* (SALL., Cat., 43). — *Demosthenes cum ceteris in exsilium erant expulsi* (CORN. NEP., *Phoc.*, 2).

N.B. — 1º Idem faciunt poëtae, vel quando coniunguntur singularia; v. g.: *Remo cum fratre Quirinus iura dabunt* (VERG., *Aen.*, I, 296).

2º Si personæ sint diversæ, verbum nobiliorem assumit; v. g.: *Divellimur inde Iphitus et Pelias mecum* (VERG., *Aen.*, II, 434).

¹ a) Tunc verbum concordat, non cum subiecto grammatico, quod est reapse multiplex; sed potius cum subiecto logico, quod est revera unicum, plerum-

Senatus populusque Romanus inteligit (Cic., *Fam.*, V, 8).

Mens et ratio et consilium in senibus est (Cic., *De Sen.*, 19).

Tempus necessitasque postulat (Cic.).

Religio et fides anteponi debet amicitiae (Cic.).

Obruit animum Q. Fulvii Flacci simul luctus metusque (T. L., XLII, 28).

II. — Si idem verbum instruitur duobus pluribusve nominativis qui sunt diversae personae, verbum effertur:

1^o) numero plurali, ad exprimendam communitatem, ut dicimus, actionis; v. g.:

Ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur (Tac.).

Spolia ampla desertis tu puerque tuus (Verg., *Aen.*, IV, 93).

Ego te poëtis, Messala antiquariis criminabimur (Cic., *De Orat.*).

In decemviris neque ego neque Caesar habiti sumus (Cic.).

2^o) numero singulari, ad exprimendam oppositionem.² Tunc verbum personam accipit nominis vicinioris; v. g.:

Ego sententiam, tu verba defendis.

III. — Quum plures sunt nominativi, quorum unus saltem est pluralis et unus singularis, verbum, si singulari propius accedat, singulari effertur, quoties nomi-

que propter synonymiam, quae sub pluribus vocabulis eundem fere sensum exhibet; v. g.: *Mens et ratio et consilium* (= prudentia) in senibus est (Cic., *De Sen.*, 19).

b) Usurpatur numerus pluralis: 1^o) si notiones sunt diversae; v. g.: *Scriptum et sententia discrepant*; 2^o) si notiones sunt oppositae; v. g.: *Ius et iniuria natura diuidicantur* (Cic., *De Log.*, I, 16).

¹ Tunc verbum nobiliorem personam sequitur: prima nobilior est secundâ aut tertiatâ. Secunda tertiae anteponitur; v. g.: *Ego et tu valemus — Si tu et Tullia valetis, ego et suavissimus Cicero valemus* (Cic.).

² Usus numeri singularis explicatur propter verbi ellipsis.

nativus singularis eluceat oportet aut solus ac seiunctum consideratur; ¹ v. g.: Ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valet (Cic.).

Nunc mihi nihil libri, nihil litterae, nihil doctrina prodest (Cic.).

Vos, vos, inquam, ipsi et senatus frequens restitit (Cic., *Pro Rab. Post.*, 6).

IV. — Si plures sint nominativi et eorum primus verbo a ceteris seiungatur, verbum cum primo nominativo cohaeret; ² v. g.:

Et ego hoc video et vos et illi.

Protinus Sicyonem fames invasit ac sterilitas moerorque dirus (Plin.).

¹ In universum, frequenter verbum cum vicinior nominativo concordat: a) sive in singulari. v. g.: *Et ego et Cicero meus flagitabit* (Cic., *Att.*, IV, 17). — Apollo quem *iuvat clamor galeaeque leves* (Hor., *Od.*, I, 2). — Carmen reprehendite quod multa dies et multa liura non caecuit (Hor., *Art. poet.*). — Multorum odium ac molestia praferenda est (Cic.).

b) sive in plurali; v. g.: *Missae eo cohortes quatuor et C. Antonius praefectus. — Visae nocturno tempore faces ardorique caeli* (Cic.). — *Vatum responsa et Pythiae sortes notae* (T. L.). — *Nationes terae et populi ingentes vi subacti sunt* (SALL.). — *Video in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos* (Cic.).

² Ceterum latine linguae familiare est ut verbum, semel positum, dein omittatur, etiam in alia persona; v. g.: Non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam *devocavit*, non libido ad voluptatem (*devocavit*) (Cic., *Pro Leg. Manil.*, 14, 40). — Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendarit et corrigi continentia (solet) (Cic., *De Leg.*, III, 13). — Beate vivere *nos* in sapientia (ponimus), *vos* in voluptate *ponitis* (Cic., *Fin.*, 2, 27). — Tam sum misericors quam *vos* (estis) (Cic., *Pro Syl.*, 31).

NB. - Item infinitus etiam cum accusativo suppletur ex tempore finito antecedente: v. g.: *Imitamus quos cuique visum est* (*imitari*) (Cic., *De Off.*, I, 32, 118). — Nemo est quin eo quo (uti) consuevit libentius *utatur* equo quam novo (Cic., *De Am.*, 19, 68). — *Sustinebimus* nos et spe qua (nos niti) iubes nitemur (Cic., *Att.*, III, 9, 2). — Ne illam quidem consequuntur, quam putant (se consecuturos esse), gratiam (Cic., *De Off.*, II, 22).

(Cf. ALMA ROMA, ann. 1932, *De verbis eleganter omittendis*, II; ann. 1931; *De pronominibus eleganter omittendis*, III, p. 129).

Evandrum *lux suscitat alma et matutini volucrum cantus* (Verg.).

V. — Quum nominativi singularis numeri copulantur coniunctione disiunctiva alternativa «aut», verbum:

1^o) vel (forsitan melius quia magis logicæ) concordat cum vicinior nominativo; ² v. g.:

Probarem hoc, si *Socrates aut Antisthenes diceret* (Cic., *Tusc.*, 5, 9).

Quaesivit num ille aut ille defensurus esset (Cic., *Rosc. Am.*, 21).

2^o) vel (forsitan rarius) plurali effertur; v. g.:

Non, si quid *Socrates aut Aristippus contra consuetudinem civilem fecerunt*, idem ceteris licet (Cic.).

Tu aut illa cum fortuna queri potestis (Cic., *Fam.*, IV, 5).

VI. — Verbum quod utrinque nominativum habet, concordat cum eo, de quo potissimum est sermo; ² v. g.:

Sanguis erant lacrymae (Lucan.).

Omnia Caesar erat (Lucan.).

Captivi militum praeda fuerant (T. L.). — *Gaudia principium nostri sunt*, Phoebe, doloris (Ov.).

¹ Post «aut... aut», «vel... vel», «nec... nec», verbum fere concordat cum nominativo viciniori; v. g.: Nec nunc primum *aut Brutus aut Cassius ita iudicavit* (Cic., *Phil.*, XI, 11). — Aut mores hominem aut *doctrina* commendat. — Nec Milo nec Clodius insidias fecit. — Non est mihi vis artium quas *aut Parthianus protulit aut Scopas* (Hor., *Od.*, I, 7).

NB. — Post «neque... neque», «nec... nec» non usurpatur singularis numerus, quum nominativi sunt diversarum personarum; v. g.: Haec neque ego neque *tu* fecimus (TER., *Adelph.*, I, 2).

² Concordat fere cum altero nominativo, quod «praedicatum» dicimus, quum ei proxime postponitur; v. g.: Hoc crimen nullum est, nisi honor *ignominia putanda est* (Cic.). — *Paupertas mihi onus visum est* (TER.). — Non enim ominus error *stultitia dicensa est* (Cic.). — Ea loca, proxima Carthaginem, *Numidia* vocatur (SALL.). — *Dos est virginis decem talenta* (TER.).

VII. — Quum nominativo plurali apponitur «urbs, oppidum», verbum consentit cum magis cōmuni substantivo; ¹ v. g.:

Tungri, civitas Galliae, fontem habet insignem (Plin.).

Corioli, oppidum Volscorum, captum est (T. L.).

VIII. — Interdum (maxime apud historicos et poëtas) sensu tantum et significatio consentiunt nominativus et verbum.² Huc pertinent:

1^o) nomina collectiva, quae singulari

¹ Quum, in substantiis continuatis, alterum substantivum est proprium hominis nomen, cum eo verbum ceteraque fere consentiunt: v. g.: *Duo fulmina imperii nostri, Scipiones, extincti sunt* (Cic.).

² a) Quum substantiva cuiuscumque generis usurpantur quae designant personas, verbum genus personarum assumit; v. g.: *Capita coniurationis virgis caesi et securi percussi sunt* (T. L., X, I). — *Illa furia* (= Clodius) impunitatem est *assecutus* (Cic.).

NB. — Idem fit interdum cum «millia»; v. g.: *Millia* triginta servilium capitum dicuntur *capti* (T. L.). — *Duo millia* Tyriorum crucibus affixi (Q. C., IX, 4). (Cf. ALMA ROMA, mense Novembr. 1931, p. 166, I).

b) Syntaxis verbi pluralis cum nominativo singulari fit logice magis quam grammaticæ. Explicari potest propter pluralem quedam expressum aut subauditum.

Qui pluralis generatim est in genitivo; v. g.: *Quorum utrumque audivi*, quum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent (Cic., *Fin.*, I, 5, 16). — *Quisque milium* praedae partem *habuerunt*. — *Pars navium haustae sunt*, plures electae (TAC., *Ann.*, II, 24). — *Magna multitudo* perditorum *hominum* conuenierunt (T. L.). — Est ex eo *numero* (*hominum*) qui semper apud omnes sancti sunt habiti (Cic., *Pro Arch.*, 12, 31).

Potest etiam esse in nominativo et tunc nominativus verbi pluralis est censendus; v. g.: *Decemviri perturbati* *alius* in aliam partem castrorum discurrunt (T. L.). — *Quum hostes* *alius* aliis subsidium ferrent, audacius resistere cooperunt (CAES.).

NB. — Cum nomine collectivo singulari Cicero verbum plurali non effert, nisi nomen collectivum unius est propositionis et verbum alterius; v. g.: Ut hoc idem *generi humano* evenerit, quod in terra *collocati sunt* (Cic., *De Nat. deor.*, II, 6, 17). — Cum premeretur initio *multitudo* ab iis qui maiores opes habebant, ad unum aliquem *confugiebant* (Cic.).

c) In huiusmodi constructione, magna cautela ac prudentia utendum est. Multa exempla videntur ci-tanda rectius quam imitanda.

numero multitudinem significant, ut: *turba, vis, multitudo, exercitus, inventus, nobilitas, plebs, vulgus...* etc... pars etc.; v. g.:

Desectam segetem magna vis hominum immissa, coribus fudere in Tiberim (T. L., II, 5),

Atria turba tenent, veniunt leve vulgus, euntque (Ov., Met., X, 4, 53).

Clamor inde, concursusque populi mirantium quid rei esset (T. L., I, 41).

2o) nonnulla partitiva, cuiusmodi sunt: *uterque, quisque, neuter, uter, alter, alius, aliquis;* v. g.:

Uterque eorum ex castris aestivis exercitum educunt (Caes., De bel. civ., II, 30).

Missi sunt honoratissimus quisque (T. L.).

Pro se quisque scelus regium ac vim queruntur (T. L.).

(Ad proximum numerum).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

CHRISTIANAE ANTIQUITATIS CULTORUM RAVENNATENSIS CONVENTUS

Die xxv proximi mensis Septembbris Ravennam in urbem delecta Christianarum antiquitatum cultorum manus ex orbe universo convenient, de recentibus repertis relaturi simulque disceptaturi.

Huiusmodi conventus primus Spalati habitus est anno MDCCXCIV; Romae alter iubilaei anno MDCCC, ibique tertius ad annum MCMIV Carthaginem in urbem indictus. Pluribus vero de caassis res minime ad effectum perduci potuit; quin imo factum est ut nemo inde ausus sit novum omnium gentium propriumque de re concilium congregare. Atque tamen triginta et amplius anni effussionum et maximi momenti

repertorum, diligentissima studia per id tempus vulgata, quibus edendis auxilium validissimum perfectiores typis reddendarum imaginum rationes contulere, necessarium in dies magis efficiebant novum praecipuarum quaestionum canonumque non recte positorum collectivum examen, iudicium, atque, si fieri posset, praescripta communia constituere. Ipsa Romae subterraneae exploratio, methodice a Pontificia Sacrae Archaeologiae Commissione perducta, tot tantaque pandidit monumenta, ut una digna peculiari conventu haberetur. Satis sit adnotare praecipua: Crypta historica martyrum Felicis et Adaucti in Commodillae coemeterio, et sanctorum Quattuor Coronatorum *ad duas lauros*; coemeteria sanctorum Marci et Marcelliani, Pamphili, Iordanorum aliaque in via Tiburtina ad S. Laurentii basilicam extra muros, ad decimum Latinae viae milliarium, itemque et in via Ostiensi et ad Palianum opidum, ac prae omnibus coemeteriorum nodus *ad catacumbas*; opera in coemeterio tum Priscillae tum Praetextati perfecta; hypogea Trebii Iusti in via Latina, et Aureliorum in Urbe, iuxta hodiernam viam Manzoni, detecta...

Neque satis: ab anno enim MCMXV memoria Apostolica in Appia via, insignissimum reginae huius viarum sanctuarium, centrum, ut ita dicam, attractionis constituit eruditissimorum christiana antiquitatis cultorum, ab ipso summo Pontifice Pio XI ad doctores Batifol, Delehaye, De Waal, Duchesne, Franchi de' Cavalieri, von Kerkan, Grisar, Grossi-Gondi, Kirsch, Lanciani, Lietzmann, Mancini, Marucchi, Profumo, Quentin, Styger, Wilpert.

Quod si Romam derelinquimus, en in quavis Italiae regione perennia adinventa, a Sicilia ad Sardiniam, a Calabria ad Aquileiam, a Neapoli ad Annonam; et apud exteriores gentes in Austria, Gallia, Germania, Graecia, Jugoslavia, Hispania, Hungaria; itemque in Africa romana, in Lybia,

in Aegypto, in Palaestina, in Transiordania; quae omnia tum rerum copia tum documinis pondere et gravitate uberrimum inquisitionum campum praeseférunt.

Quid autem de investigationibus circa antiqua cultus aedificia; quid de christiana epigraphiae recentibus editionibus dicamus?

Maximi praeterea progressus de artis christiana studio recensendi sunt. Post Strzyowski celeberrimum opus *L'Oriente e Roma*, quod anno MCMI tamquam pugnae tuba insonuit, vulgari opera cooperunt illius romanae artis adsertoris et vindicis Iosephi Wilpert de catacumbarum picturis, de picturis et musivis romanarum basilicarum; denique de christianis sarcophagis, cuius pars altera Ravennatensi huic conventui traditum iri nunciatur. At Strzyowskij quaestiones plures de artis christiana origine proposuerat; inde factum ut de re aestimationes aliae aliis successerint, superposuerint, tanto animorum motu, qui profecto Ravennae repercutietur, gravesque disputationes excitabit.

Sed monumentorum analysis a documentorum trutina seiungi nequit: agiographicae igitur, liturgicae, historicae, litterarum, philologiae, papyrologiae notae succedent. Permagnum itaque et laboriosum opus colligationis, ordinationisque offertur; idque eo magis necessarium, quod christiana archaeologiae disciplina recens quidem sit, ad suum gradum a Ioanne illo Baptista de Rossi evecta, qui anno tantum MDCCXCIV, Romae et Italiae lumen, fato concessit, et munificentia Pii PP. XI anno MCMXXV curis praesertim Pontifici Instituti Archaeologiae Christianae ordinanda, perficienda, tutanda tradita; qui itaque iure meritoque Conventum de quo agimus, Italico Antiquitatis artisque historiae Instituto libenter obsecundante opemque suam ferente, laudabili magnanimoque consilio indixit; cui faustum exitum et in omnibus felicem ex animo ominamur.

ALMA ROMA.

CHRISTIANAE ARTIS MONUMENTA IN URBE RAVENNA

Inter omnes constat qui christiana artis historiam persequuntur, primis Ecclesiae saeculis, dum orbis humanitas vertitur, quasi naturali vi effectum esse, ut potius quam semitica ratio invehetur, romana, contra, novae religioni aptaretur, atque inde ethnicorum stilus tam parum fuerit mutatus, ut ipsae catacumbarum picturae Pompeianum, qui dicitur, stilum, quamquam Christianorum mysteriis inservientem, late recolerent.

Quum autem «Ecclesia militans» in «triumphantem Ecclesiam» conversa est, et Christiana religio ad civilis religionis gradum pervenit, sacraque officia non amplius in catacumbarum secretis celebrata sunt, munus artis id fuit, ut magnificas basilicas cultui dicatas ornaret; tum religiosa ars magnificentiae maiestatisque Imperii notas praetulit, exornationum apparatus ex musivo opere desumpto, ex quo mirificos effectus obtinere licet. Tum Christus nunquam patiens, in crucem elatus repraesentatur, verum tamquam rex victor; Mariam non doloris stigmata transfigunt, sed laetitiae fulgores faciunt insignem; et in beatorum coetu, quam Virginem Eiusque Filium circumdant, servantur, varieque, at praesertim aureolae magnitudine, exprimuntur plures dignitatis gradus iuxta caeremoniarum, ut ita dicam, libros, quibus Constantini aulici distinguebantur; ita ut quum Petrus et Paulus, Apostolorum principes, prope Christum et Mariam locarentur, reliqui caelites plus minusque longinqui appareant.

* *

Huius artis perspicua exempla Ravenna urbs maxime praesefert; caput olim mundani Imperii, iam ibi Augustus alterum

Italicarum copiarum portum constituerat; quum autem barbarorum acies ita exundarunt, ut Roma securitatem, quae satis Imperatori esset, praebere ulterius nequirit, anno CDII Honorius sedem suam Ravennam transtulit, quae, loci natura, fumgam facile et mari suppeditaret, ac terra, ob magnas paludes urbem cingentes, diffidillimum hostium impetum redderet.

Tum vero urbs florere coepit, quum Galla illa Placidia, Honori soror, Valentini filii nomine regnum assumpsit; floruitque late saeculo etiam sexto, quando Exarchi sedes facta est, per quem Byzantium occidentalem Imperii partem moderabatur: hisce temporibus adscribenda monumenta, quae nostra etiam aetate ad silentem nunc urbem artis peritos trahunt eosque admiratione commovent: Gallae Placidiae sepulcrum et S. Ioannis *in fonte* baptisterium, quae ad primam aetatem spectant; S. Vitalis atque S. Appollinaris *in classe* templo, in quibus byzantinae aulae divitiae resplendunt.

Sancti Vitalis templum cum Constantinopolitano Sanctae Sophiae templo contendere magnitudine ac decore debebat: utrius conditorem, Iustinianum, musivum absidis opus reproduct, eumque regali atque splendidissimo vestium ornatu et corona redimitum; quem hinc frequens aulicorum turba comitatur, in qua Maximianus archiepiscopus cernitur templum coram imperatore consecratus; inde assequitur cum ancillis suis Theodora uxor. Hasce imagines conspiciens, equis huiusmodi artem incipientem affirmaverit? Hercole, non puerulae novae artis specimen, non incunabula haec sunt, sed terminus plaeclarus, et fructus antiquitatis excellentissimi!

Quod si in Theodorae imagine matronarumque circum stilus inclinantis ac labentis artis (« decadentem » hodie appell-

lant) aliquam notam praebet, non tamen ad appropinquantem occasum stilum ipsum dixeris; siquidem in illa arte ea vis fuit, quae classicorum perfectione quaestiones novas omnino circa aedium interna ornamenta solveret.

Musiva autem opera, quibus Sancti Apollinaris templum prae fulget, uberrimi fructus decorantis artis omnium temporum fortasse habendi sunt. Zophorus per centralem aram per ductus pompam refert lente ac solleminiter procedentem: hinc viginti ac duae virgines ad Matrem Dei prodeunt; inde sex et viginti homines ad Iesum accedunt; coronas portant omnes; mulieres albis velis amiciuntur, capite ex graeco diademate praecincto... Non inficior, in figurarum illarum gestibus ac modis, in vestium sinibus, inter homines et mulieres nullam fere differentiam inveniri: si vero id linearum duritiae, si commenti paupertati quis tribuerit, eum profecto decipi proculdubio asseram; unam enim hanc formam, — non aliter atque in celeberrimo illo Parthenonis ornatu — voluit certo artifex, ut qui visuri essent, speciem atque vim ferrent rei, cui nunquam esset finis, immutabilis, aeternae. Lineae « classicitatem » redolent; gestus ac modus quisque gratia redundant: uno verbo, Phidiacarum Panathenaicarum pompam hanc esse dixeris, ab artifice excellentissimo in divini numinis alterius honorem reproductam.

Iure equidem meritoque Ravenna urbs proximi christianaे antiquitatis cultorum conventus sedes delecta est.

I. F.

Ille mihi videtur esse sapiens, qui pauca quidem de virtute animi commovet, et proloquitur; plura autem in suis actibus atque operibus ostendit, et fidem verbis operum suorum stipulatione confirmat.

S. GREGORIUS in Mor.

HORAE SUBSECIVAE

Graeca epigrammata
latine redditæ.

IN TUMULO PUELLÆ « GORGÖ ».

*Dilectae moriens collum complexa parentis,
haec Gorgo deflens ultima verba dedit:
« Cum patre vive diu, sentiique levamina pro-
[lem]
gigne aliam, fatum quam maneat melius ».*

IN PUPERULI TUMULO.

*Me quinque annorum puerum crudelis Aver-
[nus,
curarum expertem, Callimachum rapuit.
Quod mihi vita brevis fuerit, ne sparge
[fletus,
pauca etenim vitae me tetigere mala.*

IN TUMULO HOMERI.

*Heic, quamquam est parvus tumulus, consiste,
[viator,
et, veluti divo, florea serta feras;
nam facta heroum divino carmine clarans,
Musis praesertim carus: Homerus inest.*

IN TUMULO MILITUM.

*Si magna est virtus pulchra decumbere morte,
praesertim haec nobis sunt bona sorte data;
namque tueri armis patriae sacra iura vo-
[lentes,
gloria defunctos non peritura manet.*

IN MULIEREM FUCATAM.


*Mel, fucum, ceras, dentes mercata comasque,
hoc sumptu totam vel faciem poteras.*

IN AVARUM.

*Sunt tibi divitiae: miseri sed mens animusque
[est:
haeredi es dives, sed miser ipse tibi.*

S. Laurentii Novi ad Viterbiū

ACASTES BRESCIANI.



SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE DUABUS « PLANETOIS » NUPER INVENTIS,
QUAE AD TERRAM PROXIME ACCEDUNT.

Inter planetoidas, recenter detectas, duae dignae sunt, quae specialiter no-tentur.

Prior inventa est ab astrologo Del-porte, in caelesti specula Uccensi, die 12 Martii.

Orbitae semi-axis est paulo minor dua-bus unitatibus astronomicis; « excentrici-tas » est 0,45; inclinatio ad eclipticam 12°; unde sequitur hanc planetoidam, Martis orbitam transgressam, ad Terram usque ad minimam distantiam 0,11 unitatum astronomicarum accedere posse, dum mi-nima distantia planetae Eros infra 0,15 unitatum astronomicorum non cadit.

Posterior, inventa die 23 Aprilis ab astrologo Heidelbergensi Reinmuth, non solum Martis, sed etiam Terrae orbitam transgreditur, immo eius perihelium intra Veneris orbitam situm est.

Est enim eius orbitae semiaxis 1,4 uni-tatum astronomicarum; excentricitas 0,52; inclinatio ad eclipticam 5,8; revolutionis in orbe periodus 1,64 annorum: omnium planetidarum brevissima.

Eius distantia a Terra die 15 Maii erat solummodo 0,07 unitatum astronomica- rum, idest 10.500.000 km.

Ut patet, huius orbita gravibus per- turbationibus a Terra et Venere subiacet.

Sic iam spatium a notis planetoidis oc- cupatum intra Mercurii et Saturni orbitas continetur, quum ex altera parte planeta Hidalgo in suo aphelio Saturni orbitam vix non attingat.

Nec improbabile videtur, haec corpora per totum sistema solare esse sparsa.

Notamus denique, planetoidas quae «Troiani» dicuntur, iam decem numerari, quarum quinque Iovem praecedunt, quinque sequuntur.

I. STEIN.

DE MATERIA VIVENTE SUBIECTA TEMPERA- TURAELI LIQUIDI.

Postquam in officina cryogenica Lug- duni Batavorum obtentae sunt algidissi- ma temperaturae, fere prope ad 0° abso- lutum, magni momenti erat proprietatibus materiae viventis iis temperaturis subie- ctae studere.

Iam anno 1929 temperaturae oxygenii liquidi (-182°C), aëris liquidi (-192°C) ba- cteria photogena subieci et observare potui lucem primum imminui; deinde extingui quum ipsa sub earum actione esset; postea, bacteriis subtractis ab actione frigoris, lux apparebat in eis.

Superiore anno me contuli in officinam cryogenicam Athenaei Lugduni Batavorum, quam doctor moderatur Keesom, ad experimenta inspicienda circa actionem helii liquidi, idest temperaturae (-269°C) in photobacteria.

Quoniam lux indicat vitalitatem eorum, credidi uti bacteriis photogenis ut materiale aptum ad phenomena materiae viventis sub algidissimis temperaturis hucusque cognitis investiganda.

Haec est prima investigatio in photo- bacteria peracta.

Experimenta expleta fuerunt novissi- mis mensibus Martii et Aprilis, coadiu- vante doctore A. C. Crommelin, altero a pro-Moderatore illius officinae.

Bacteria subiecta sunt tum hydrogenio liquido (-253°C) tum helio liquido (ab -269°C ad $-271,25^{\circ}\text{C}$) per horas varias, decem usque.

Summa cum admiratione bacteria re- stiterunt algidissimis temperaturis, quae sunt viciniores ad 0° absolutum.

Bacteria lucem amittunt, dum frigus agit in ea; sed postea, temperaturis ordi- nariis prolatis, rursus lucescunt, et semi- nata in novo terreno crescent, et lux vivi- dissima appetet.

In aliis experimentis eadem bacteria subiecta temperaturae 60°C supra 0° lucem amittunt et moriuntur.

Deducitur materiam viventem mori, quum temperaturis parum elevatis, idest 60°C supra 0° subiiciatur; vivere ac lucere quum subiiciatur algidissimis temperaturis helii liquidi.

Proprietas «reversibilitatis» protopla- smatis ex his experimentis deduci potest, et possilitas existentiae germinum va- gantium inter aetherem cosmicum, nisi aliae causae hoc vetent.

I. ZIRPOLO.

NOTITIAE.

DE ALTIORIBUS NUBIBUS.

Nubes colores «madreperlaceos» pre- bentes et de quibus alias loquuti sumus, plures visae sunt mensibus elapsis in Norvegia.

Doctor Stormer ex Oslo omnibus ratio- nibus conatus est photographicas imagines trahere ex dissitis locis, colores etiam fe- rentes.

Examen earum nondum perfectum est, sed iam nunc altitudo nubium existimari potest intra viginti et triginta chilometra.

Speciali mentione digna est observatio a Stormer facta die vigesima Februarii. Nubes erat prope lunam ita ut corona lunaris efformaretur, quae prius flava dein rubra apparuit ad quindecim circiter gra- dus a disco lunari. Limes externus coro- nae non apparebat, sed si ad decem et octo gradus existimetur, ut probabile vi- detur, computari potest diametrum parti- cularum nubem efformantium ad duo mi- cron cum dimidio.

Altitudo nubium erat tunc inter viginti et unum et viginti quinque chilometra.

EXPERIMENTA IN SUPRACONDUCTORIBUS.

In sessione a Royal Institution habita die 3 Iunii doctor McLennan agens de supraconductione metallorum, experimento ostendere potuit persistentiam fluxus elec- trici in annulo plumbeo, in helio lique- facto servato.

Liquefactio helii facta est Leydae a doctore Keesom in officina cryogenica; in helio liquefacto annulus plumbeus immer- sus fuit et per actionem campi magnetici in eo fluxus electricus excitatus.

Tunc vas, dupli involucro aëris li- quidi protectum, Leyda per aeroplanum Londonum translatum et ad aulam Insti- tuti allatum, ostensum est adhuc servare fluxum electricum, qui Leydae excitatus fuerat.

DE NOTIONE INDUCTIONIS MAGNETICAE.

Agitatur adhuc quaestio circa definitio- nem inductionis magneticae. Quae iam a Maxwell data est, exstat huc usque optima inter alias, sed diversimode interpretatur tum a physicis tum ab electrotheanicis.

Difficultas inest in re ipsa; agitur enim de phoenomeno valde complexo, in quo rationes inter ipsas vectoriales magnitu- dines inductionis et vis magneticæ non satis clarescant.

Unio Internationalis inter cultores physicae et electrotheenicæ rem dis- ctiendam assumpsit et de hoc mandatum dedit peculiari coetui. Doctor A. Lombardi plures iam collegit studiosorum opiniones, quae materiam preebebunt proximo con- ventui.

NOTITIUNCULAE.

Videtur confirmata existentia isotopi hydrogénii; eius massa est duorum protonum: exsperimentiae hoc probantes relatae sunt in *Physical Review*, numero su- perioris mensis Aprilis.

Velocitas transmissionis vocis per filum in telephonia est fere eadem ac per radio- phoniam, hoc est eadem ac velocitas lucis.

Sed si conductio incudit «inductan- tias», ut fit per longiores distantias, veloci- tas potest reduci ad decimam partem velocitatis lucis; hoc est ad triginta millia chilometrorum per secundum temporis.

Felici exitu dominus Francisci-Aragno induxit motus moderatores in laminam cynematographicam sonoram evolvendam ante soni reproductorem et post exposi- tionem interdum modò factam ante lucis apparatus, adhibendo capsulam hydrargi- rum continentem loco rotæ compensa- tricis (*volani*) et opportuna elastica pres- sione, ut motus uniformis redderetur.

Videtur eius apparatus facile aptari posse cuilibet machinae.

Perutilis innovatio introducta est a domino Rovigatti, ut libramentum liquidi in ebullitorii existentis visibilis evadat etiam a longe; applicatione nempe lampadis tu- bularis eius lux a liquido ipso amplifi- catur.

In regione Goritiana apud Silvam Pini detectum est depositum bauxitis, quod per octingenta quaterna iugera (ectaras) pro- tenditur.

Metallum continet sexaginta tres partes pro centum alluminii.

Ad Jequiam, in civitate brasiliana Bahia, metalla ferrigna inventa sunt intensiora quam quae in Italia.

Apud Duempalm in Dania sales potassici detecti, quorum subductio iam incepta est.

Asphaltum et bitumen e solo erumpens in insula Trinitatis invenitur, in regione ad sexaginta quaterna iugera (ectaras) protulata.

COMMUNIA VITAE

Aestiva in suburbano coenatio.

Tribonianus quidam pedaneus (quid moror dicere? «pedanei iudicis» ministerio fungebatur, et reos alienae pecuniae supercilium severae frontis terrebat), Tribonianus, qui multa saepe facete dixit, multa vero et sapienter fecit, mecum nuper una quum esset, quippe est magna latini sermonis peritia, quam *Pandectas*, *Digestum* et *Institutiones* recolens,

Nocturnaque manu versans, versansque diurna miram in molem auxit, de hilari sumendo die mecum agitabat. — Extra Urbem — inquit — Nomentanum iuxta pontem abibimus, atque ibi...

Mora nulla; procedimus. Iamque mille praeter passus ferebamur, electriue ha paretente ventos, dum comes proxima respiens Horatiana illa murmurabat:

*Ocio ventis, et agente nimbo
Ocio Euro,*

quum, stantibus rotis, nescio quo adverso praepeditis, curru discedere necessum fuit, et calcantibus, ut aiunt, pedibus, locum coenae facienda querere. Ad hoc omnia

secunda, quod sere coram oenopolium erat in colle multa opacum arbore, quod literis per murum campi uncialibus, magis quam aedificio ramis obducto, patebat. Illuc ergo divertimus. Arboribus obumbrata area undaque aedificium cingebat, et ubique mensae sedilibus praecinctae, stratae mantilibus, patinis, cyathisque, lagenisque crystallinis renidebant. Erat iuxta domum, ruderibus credo superexstructam, aut adstructam, cavernae in morem, cella vinaria, rutilantibus electride vitreis globis interius omnino oculis patens, atque in ea hinc et inde in aciem dispositi bufones, dolia, dolilia, vitreique urceoli cera obsignati, pulvere conspersi, ad irritanda desideria fortasse, hem!, proculdubio ad irritamentum gulae ostentati, unde non mediocre lucrum cauponi rediret. Nec exigua puerorum manus adstantes magna cum voluptate mensis obsonio potuque reficiebat.

Coquinae nos, qua potuimus propiores, mensae accubituri assedimus, et frequens veniebat ad aures exspectantium invocatio, qua pueri hic, ille, alter, modo hic, modo illuc, ubique, undique a maturantibus urgebantur:

— Vide ne sis in exspectatione. — Tibi ego dico; otiosus quid cessas? — Sedulo mandatum gere. — Istud age quod volo, relictis rebus. — Da piscem patinarium...

Illi, contra:

— Nihil est in me morae. — Inclementer dicis. — Illic sum, atque hic sum. — Moveo me ocios. — Omnia cocta sunt; praesto afferam ut cupitis.

Tum ego Triboniano: — Nimis turbae est hic, et coenatoria res haeret; ne remeemus impransi, pace fiat tua, ut hinc abeamus, et maturius alibi vescamur.

Ille, contra, resistere iubens, coquinam petebat intervisum quid facerent coqui, forsan etiam ut ea mandaret, quibus vesci cupiebat. Quis crederet? Proh! quam saepe fallimur iudicantes aliena! Ecce vir meus, Tribonianus, insignis patricio sermone, sed

insignior, aedopol!, italicis, hoc est vulgaribus, cibis, triumphali incessu redibat, quasi *spoliis Orientis onustus*; redibat Phoebo similis, decorus esculenta sarcina; totus exultans, et gloriosus pro pectore cuncta gerebat: vini ampullam, panes, pernae segmenta, et quae proxima huic ad iucunda convivia. At hunc ubi vidit puer, ita redeuntem, erubuit, citusque circa eum dicere, tollere, sublevare, factitare velle. Sed huic iudex subiratus: — Post tempus venis! Meam rem ne cures, si recte facias; tuumque iter insiste.

Indignans et puer: — Quid hoc est negotii? Tuum est edere, nostrum adponere; ne in nostra irrepas munera. Num, si herus viderit, ipse impunis? Conficis mihi omnes res et rationes; et clades, calamitas, intemperies, quoties ut venis tu, in cauponam veniunt. Sed iudex atrocior: — Fieri dictis compendium volo; scis me heri tui collactaneum fratrem. Cibum quaerens huc venio; tu nostra non curas, et pro pane verba data esse video. Expurga te domino; mihi supervacaneum fore duc, si expurgaveris.

Iamque sedens totus mecum erat in dentibus exercendis. Servus, increpatione territus, satagebat, at animo recepto; nam Tribonianus vino indulgens laetior aliquantulum superciliis procellosi demiserat, non ita vero, ut interdum acribus parceret monitis:

— Heus tu! Hoc salsum nimis. Olus est nequam. Hoc adustum olet. Hoc fere crudum. Patina parum lauta. Cultellus impar truncandis: utere pro serra.

Frustra ego saevientem superba lingua per singula conabar, nitebar compescere:

— Ne quaeras nodum, sodes, in scirpo; non omnia aequa voluit cuique Deus. Ex modo a conquestu; pitissa vinum; e Tusculo est; sentisne deliciosum delicatumque palato? Sorilla paullatim, et experiere. Bene tu! Bene ego! Macti utrique!

Dum haec nos, et prope et procul alia

sonabant, prout indoles diversa serebat epulantum:

— Puer, cave; cyathum hunc tibi impingam in faciem, si vinum infuscaveris aqua rursus; merum da. Releva dolia omnia, dī te ament; nos enim ad diurnam stellam compotabimus.

Tribonianus et ego interea lactucas aceto perfusas et oleo, ac sale ac pipere conditas una cum ovis assatis et offulis edebamus, ipso feliores Augusto, et ipso Lucullo laetiores; nam salubres ex Aniene proximo veniebant aurae vespertinae, et fames, ex itinere, inenarrabili delectatione singula condiebat.

At nobis non mediocre solatium erat in audiendis que dicebant convivae, et quae sibi coquenda quaerebant:

— O tu, Dave, testudo bipes et pilosa, fer placentam ex ovis fractis.

Tum aliis:

— Et mihi, et nobis; infer in sartagine lycopersici tamquam satis.

— Mihi, immo nobis, decem sumus, affer idem, sed misce, praeter lycopersicum, mentam et caseum et leporini iecoris aliquid. Si lepore careas, infer cucurbitas, misce totum; quaeso ne durescat in sartagine. Mollius esto.

— O Dave, mihi ova sorbilia.

— Dave, Dave, huc attende, intende ac tende.

— Dave, affer ad nos dimidiā lunam.

— Nondum orta est — respondebat Davus, et interea tot rogationibus paene amens, nec coquinam petebat relaturus obsonium et placertas a coquo, nec petentibus inserviebat.

At ego et meus Tribonianus (quam prodest scire latine!) magna cum pace et voluptate magna comedebamus, bibebamus, et riso solvebamur interdum:

— Dave, Dave, accurre huc!

Currebat, adibat. Tum anhelo:

— Quis te vocavit?

— Atqui vos.

— Falleris; at quoniam venisti, frustra non tibi sit te venisse. After vini congiam.

— Quoniam potius colore?

— Quo volueris, praeter aqueum.

— Dulce ne vobis placentius, an asperum?

— Ad Acherontem tu, nisi festines. Davus inter haec ire, redire, ceterique pueri, Davi omnes.

Nos haerebamus secundae mensae, et circa cucumerem et mellonem opus erat nostrum, atque erat assiduum.

Qui nobis proximi comedebant, sive rei desiderio flagrassent, sive iocandi causa facerent, puerum toto ore advocare:

— Dave, Dave affer et nobiscucumerem.

— Quantumne? — Davus.

— Ad instar Pantheon!

Alii: — Mellonem nobis, Dave, da.

— Quot estis?

— Pauci numero, plures virtute, plurimi fame!

Alibi etiam: — Dave, da cerasa. — Dave, da nuces. — Dave, portato ficos. — Dave, gere pira. — Mihi non pira, sed mala.

Et submisse Davus: — Quae in vos ruant ut muscae!

Tum alii: — Dave, uvam.

Et Davus: — Acerba est!

— Prouh! Dave, vulpes; cave a pedicis.

Alii mox eduliorum absumptorum premium querere; interdum increpare:

— Annona est gravis; ac tu decorticabis...

Iurare Darium coriarium se non esse, et peram implere nummis numeratis. Hi excedere, alii venire, cumque iis turma citharoedorum: alii chelim prae manibus; alii tibias; concentus promere, populares edere cantiones, quae his diebus in more et magis per ora tritiae.

— Date sonitum, ut saltemus.

Davus conclamare: — Saltare non licet!

Illi instare. Magnus vociferantium rumor, magna vocum confusio. Tunc Tribonianus ad me:

— Magnine Catonem facis?

— Facio — inquam.

— Ergo — addit ille — sequamur hunc monentem: «Rumores fuge»; timeo enim ne in lites coenae labantur. Nobis, qui sumus in antiquis moribus, ultra cunctari hic non est aequum. Placide ergo egrediamur.

— Ibimusne insoluto pretio?

— Praesolvi fratri meo coquinam initio ingressus.

— Concede ad dexteram, ne cum turbulentio illo globo misceamur.

Sic igitur loco discessimus, et feliciter in Urbem remigravimus.

P. d. V.

COLLOQUIA LATINA

In villa.¹

IUSTINA, VITALINA, CALLIOPE,
PHILOTHEA, CERES.

IUSTINA. — Puto vos omnes, sicut ego facio, alicui disciplinae operam dare, et hic stare, solati causa, post durissimos examinum dies...

OMNES. — Ita vero est...

IUST. — Fuimus in passione sociae et tales remanere debemus, tempore vacationis! Si vobis placet, saepe huc conveniamus, priusquam operosi studiorum menses redeant.

OMNES. — Etiam!

¹ Colloquium hoc exaratum et dictum est a puellis studiis vacantibus in ephbeo *Villae Luciae* ad Morristown, Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis urbem, quod Piae Magistrae ex Congregatione a S. Lucia Filippini in Italia condita, moderatur; auctoritate accidente Exc^m ac Rev^m Thomae Walsh, Episcopi Novarcensis, qui exigit ut in ephbeis sibi subiectis non modo latina addiscatur lingua, sed et ipsae puellae latine loquendo exerceantur, et quidem romana pronunciatione; exemplum profecto imitandum!

IUST. — Sed primum oportet nos inter nos noscere, et, una cum nomine, uniuscuiusque disciplinam dicere. Ego incipiam: meum nomen est Iustina et iuris studio sum dedita. Tum nomen? (*Indicat Vitalinae et aliis*).

VITALINA. — Vitalina! Et do operam medicinae.

CALLIOPE. — Vocor Calliope, et versor in artibus musicae et poesis.

PHILOTHEA. — Meum nomen est Philothea, et philosophiam tracto.

CERES. — Culnam curro (*Omens rident*) et vocor Ceres.

IUST. — Hodie nostri colloquii argumentum erit circa disciplinas a nobis excutas: uniuscuiusque erit propriam extollere ornatis verbis et clarioribus laudibus.

OMNES. — Optime!

VIT. — Si vobis placet, Iustinae munus erit istum moderare conventum.

OMNES. — Volumus.

IUST. — Grato animo hoc faciam. Et statim: Vitalina, quid de arte medicinae?

VIT. — Inter omnes disciplinas haud dubie medicina excellebit. Si historiam legit, semper maximo in honore fuisse medicos arte insignes reperiens. Per longum et arduum curriculum studiorum, est medici reconditos naturae penetrare recessus omnes, herbarum proprietates, omnium elementorum secretas virtutes agnoscere, ad hominum utilitatem et salutem. Si medicinam aufertis, tota humana ruit felicitas: corporum sanitas deficit, vita fit brevior, florens iuventa senescit, animi statim tristitia tabescunt!... Dat medicus doloribus finem, in infirmitatibus est ipse desideratissimus amicus, et hominis moriuntur spes est et solatium.

IUST. — Satis! Nunc spectat Calliopi dicere laudes artis suaee.

CALL. — Nec difficile opus, nec ingratus labor est meae artis dicere bonum! Hominis necessitas est saepe sonos audire et cantus, et carmina ab imo pectore trahere,

sive in iucundis, sive in luctuosis conditionibus. A prima hominis aetate, reperimus musicae et poësis exercitium; inter civiles et barbaros populos in patriis et familiaribus eventis, musica primum tenet locum. Quam iuvat cubanti, lunari nocte, sonitum audire tibicinum ac citharoedrum, dum omnia silentia tenent! Quando fervent pugnae, quum triumphantes milites redeunt in patriam, vel in ludis iuvenes sese exercent, si tubarum audiatur sonitus, fremunt animi, corda exultant, et vires augentur.

Musica est fessis et aegrotantibus solatium, dementium animos mulcet et ruidum atque effectorum hominum mores excolit. Et alia dicam...

IUST. — Satis!

PHILOT. — Liceat nunc mihi paulisper moderatoris sceptrum tenere: tempus est ut Iustina suea artis dicat merita...

OMNES. — Utique! Optime quidem!

IUST. — Iuris dicere merita?... Mihi eloquentia deest, ut opus recte perficiam. Sed maior difficultas est correpte de iure disserere; tamen ut mihi possibile erit referam.

Ius est unicum medium pro civili hominum societate habenda.

Supremo reipublicae moderatori spectat bonum populi procurare leges condendo et promovendo earum executionem.

Est meritum legis, si tempore belli, quum patriae fortunae incertae evadunt, viri omnes suam vitam despicientes, arma arripiunt, impetum hostium infrenant; et sanguinis effusione ac omnium sacrificiorum cumulo parta Victoria, fines nationis integros servant, vel magis extendunt, et patriam ditiorem ac gloriosam reddunt.

Quid dicam de familiarum bonis, de libertate personarum, de vindicta criminum et de innocentium absolutione? Ista omnia et alia innumerabilia beneficia sunt fructus iuris. Deme leges, et fures et in honesti ac turpissimi viri vitam impossibili-

lem reddent, et illico tota ruet species humana! Inter diversas nationes iuris est inire foedera, commercia statuere et...

PHILOT. - Satis! Satis! Tandem tempus est audire artis coquinariae laudes!

OMNES (*Subrident*).

IUST. - Ita sit! Sed mihi interim spectat moderatricis arripere sceptrum!

CERES. - Ora tenete!... Nec vile nec ultimum est meae vitae genus! Si mihi fas sit, culinam excellentiorem inter omnia instituta vocabo...

OMNES. - Dic, dic, Ceres!...

CERES. - Ante omnia dicam meum magistrum fuisse matrem meam, meam scholam esse domum, amicos meos doilia, patinas, alveos, ollas, cibra, stateram, sartagines, et alia eiusdem generis!...

Ab origine mundi — et hoc erit usque ad finem — omnes artem meam honorare debuere. Reges et imperio subiecti, docti ac rudes, perversi et honesti viri, cuiusvis aetatis et conditionis, quotidie et saepe inter diem ad culinam recurrent.

Suntne homines itinere fessi? Suntne ipsi fatigati labore? Redeunt ne ex foro, ex mercatura, vel ex proeliis? Ipsi, omnes, ad mensam accedunt et accumbunt, cupide exspectantes, quum venter latrat, exculta, in culina parata... Iam edunt. Figite nunc oculos super recumbentes! Ipsi arrident, et sive olera edant, assum vitulum seu potius piscis assum sumant, post quam pocula vini rubescens exaurierint, vivaciores loquuntur, sibi vires redire sentiunt, et beati apparent!... Est sententia quae dicit: «Inter exculenta homo seneccere nequit!»

IUST. - Miror eloquentiam tuam... Nunc libertas dicendi est Philotheae.

PHILOT. - Et paucis dicam. Nemo est qui dubitet de vestrarum disciplinarum excellentia; illae omnes utiles, et etiam quandoque necessariae sunt; quaenam sit ex ipsis excellentior non dicam. Tamen

inter istas et alias disciplinas, sicut regina sedet philosophia.

OMNES. - Hui! Oh!

PHILOT. - Philosophus, qui rationis lumine sapienter utitur, et studia severiora excolit, ultra ea quae sensibilia sunt procedit, et causam ultimam rerum omnium requirit. Homo supra materialem, vitam spiritualem gerit, quae ea nobilior quam maxime exstat. Est Philosophia, quae originem rerum adiudicat, et homini quo vadat et cur vivat indicat, eiusque immortalitatem probat. Omnes aliae disciplinae sunt philosophiae ancillae, ista theologiae, quae divina est scientia, humillime et valenter inservit. Ideo moralia hominis postulata ad trutinam vocat, eius obligationes decernit, et quid sibi ipsi, quid Deo, et cuicumque debeatur omnes admonet.

IUST. - Iam satis! Nunc vobis praemium pro amica nobiliorem disciplinam exolentem propono; est florum fasciculus hic: dicite cuiam est dono dandus?

OMNES. - Philotheae! Philotheae!

IUST. (*offerens illi*). - Optime vero!

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 485. - BALLONIUS observavit in peri-pneumonia deliquium animi, praecipitem virium lapsum, et sudores subfrigidos. HIPPOCRATES disserens de quibusdam, quibus totus pulmo cum corde inflammatur, et aliis, quibus cor non inflammatur, asserit, illos resolvi, quibus cum corde pulmo inflammatur.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 486. - Miratus sum, ait BAGLIVUS, aegros saepe conqueri de dolore ad orificium stomachi, cuius doloris circumscriptio brevis admodum est, nec explet latitudinem duorum digitorum. Purgationibus non iuvantur multum: vomituriunt: pulsum habent languidum: corpus pigrum ac iners. Noctes insomnes ducunt; ventre plurimum sunt adstricto, imo, prae dolore, superior pars hiat, inferior adstringitur. — Ita pectoris quidam post aerumnas aliquot et labores incidit in febrim typi expertem: saepe leipothimia: quarto pene die laboravit. Summa virium ruina, partium extimarum refrigeratio: hinc alvus subducta est, excrementis modo liquidis, modo chylosis, modo mucosis, incredibile dictu. Tribus aut quatuor diebus post, non allevabatur; perpetuo alvus, sive ventriculus laborabat. Modo roborato ventriculo, modo usu rhabarbari allevabatur. Pallor, sitis, partium imbecillitas, deiectus appetitus; dolor ad regionem stomachi, quem antea diximus, etsi munia sua consueta obiret. Tandem, vomitu provocata, excreta sunt viridia, biliosa, glutinosa admodum: sic allevatus est. — Ubi tanta copia materiae latebat? An in ventriculo? Certe non; sed in partibus vicinis. Dolor ventriculi a saffra biliosa, purgantibus parum proficiens; iuvit vomitus. (*De suburrae sign., Consil., XXXIV*).

§ 487. - BALLONIUS (*Cons., XXXVIII*) ait: Multi melancholiae hypochondriacae meminerunt; et huius morbi nomen crebro usurpatum. Sed quid proprie significet, quis locus affectus, cur ita appelletur, quum non sit necesse melancholicum humorem in vitio esse, an intemperies sola sit, an morbus in confirmatione, nondum satis definitum est. Agnovit BALLONIUS morbum hypochondriacum absque humore melancholico. Dubitat an non sit vitium in solidis STOLL.

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

ANNALES

Seditiones.

Aestivum hoc tempus seditiones hic illuc ortas videntur, ingratas profecto omnibus, qui ordinis tranquillitatem exoptamus.

Primae ex Chilena republica nunciatae sunt, per quas Communistarum parti faventes summa rerum potiti sunt; verum paulo post eorum conatus infracti a Nationalistarum parte fuere, qui eos ex imperio desicerunt, seque in eorum locum suffecere.

In Siam civitate rei publicae conversio, sine tamen sanguinis effusione, facta est; hinc regis dominatio ex certa disciplina in posterum exercebitur.

In Brasilensi republica Paulistae, qui dicuntur, in gubernium insurrexere et civile bellum moverunt, et caedes. Ferunt enim in pugna circa Montemsiaio pugnata quadringentos milites cecidisse et duo millia vulneribus affectos fuisse.

In Hispania denique motus, quos dixerunt ad regis imperium renovandum excitatos, a copiarum imperatore Sanjurio, Mauritanorum quondam victore, agitati sunt. Verum brevi compressi. Sequuta est inde publicatio bonorum, in eos iussa qui participes coniurationis fuissent, et eius principis capititis damnatio; quae tamen in perpetuam captitatem commutata est.

* *

Germanicae res.

Ex comitiis suae factioni late faventibus, Hitler sese insolentius extollens, Cancellarii munus, hoc est summa imperii, sibi repetivit; obstitit Hindenburgus, reipublicae praeses, ita ut a «socialistis nationalibus» illis obtrectatio indicta fuerit omnibus modis perficienda; minime exclusa

vi, quae ad adversariorum necem usque perducta est. Leges itaque huiusmodi in temperantias severe coercentes a gubernio promulgatae et ad effectum statim ductae, quae supplicium ipsum comminatae sunt; quem tamen reapse expromptum non sit.

Ex parte sua Von Papen, administratorum collegii praeses, adversarii provocationem accipiens, aperte declaravit se a munere, nunc saltem, minime esse recessurum, vel si legatorum coetus ei fiduciam denegaverit; tum enim is sine coetu ipso rem publicam geret.

Quo res perversa sint brevi videbimus; Germanicus enim legatorum novus coetus die xxx currentis mensis Augusti congregabitur.

* *

Opificum ab opere desertiones.

Dum ubique rationes perpenduntur, quo facilius mederi possit oeconomicis angustiis, quibus universus premitur orbis; quinimo in Canadensi urbe Ottawa conventus habetur, ut Angliae praesertim eiusque dominiis, quae dicunt, caveatur, en in Angliae ipsius regione Lanchasire, lanae de ligno fabricandae addicti opifices, ducentorum et quinquaginta milium numero, ex condictio ab opere recedunt, civitatem suam praecipua divitiarum causa privantes.

Quae sunt humana!...

POPLICOLA.

Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et curiositas est. Sunt qui scire volunt ut scientiam suam pro honoribus vendant, et quaestus est. Sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, et vanitas est. Sunt qui scire volunt ut ardentius aedificant, et charitas est. Et sunt qui scire volunt ut aedificantur, et prudentia est.

S. BERNARDUS, Serm.

VARIA

Romanum imperium¹

Veneranda imperii maiestas invicta Caesaris virtute primum Romae conditi, ab Augusto constituti, atque a triginta duobus post eum principibus per trecentos et octoginta annos varie prolati et aucti, stetit in fastigio suae magnitudinis, eamque veritae sunt universae gentes, usque dum Constantinus, veterum Thraciae ruinorum amore captus, ut novam in extremis Europae litoribus urbem conderet, totius orbis reginam dereliquit, domesticisque terris exteris, dominis servos, ignobiles et incognitos rivos celeberrimo Tiberi, ambitionemque suam sanctissimis illorum praestantium vestigiis anteferens, qui Romam ad summum honorum culmen adduxerant, sedem Bysantium transtulit, et quidquid iam inclita Roma tanta virtute tamque honestis laboribus longo temporis cursu sibi pepererat, in ultimos Graeciae fines secum tulit.

Quod quanti momenti fuerit ad Occidentis perniciem, satis aperte ostendunt tot barbararum gentium quasi alluviones, quae non modo in Europam, sed etiam in Africam exundaverunt, maximo totius orbis, at praecipue ipsius Romani imperii detimento, quod eo, quo minus oportebat, translatum, ac sub triginta novem principibus qui quadrigenitis circiter sequentibus annis illud rexerunt, a se in deterius lapsum, eo tandem infirmitatis devenit, ut misella Italia tot barbaris praeda permissa, non solum gloriam atque honestissimam suam famam amiserit, sed eximium etiam illorum praeclarorum illustrumque animorum semen, qui tam magnam fecerent. Praeterea et nomen ipsum forte amis-

¹ Ex Italicis GIAMBULLARII historiis.

set, nedum cetera minus splendida, nisi Leo III pontifex maximus, indignas nostras aerumnas miseratus, communisque utilitatis cupidus, imperii nomen oblitione tectum in Occidente revocasset, vel, ut verius dicam, suscitasset.

Hic, trecentis ac viginti annis post vescordis Augustuli abdicationem, in quo demum periit penes nos tantae celsitudinis maiestas, quem Romae esset clarissimus atque invictissimus Carolus rex, quem magnum vocant, viii Kal. Ian., anno a nativitate Christi DCCCI, eum in Sanctum Christianorum principem unxit, coronavit, eique bene precatus est; ac non modo Cæsarem, verum etiam Augustum appellans, omnibus veteribus coeremoniis ritibusque solemnis unicum regem atque imperatorem Romanum, ut invictum nostrae fidei propugnatorem ac sanctae Ecclesiae defensorem honorificentissime renunciavit, et populis edidit. Huic autem non minus sanctae quam necessariae pontificis maximi electioni adeo favere Caelites, eique armis, prudentia et benignitate tam cumulate respondit eximia Caroli virtus, ut, licet minore quam priscis temporibus, eo tamen splendore, quo per multa saecula nec se prodiderat nec innotuerat, extincta Italorum fortitudo iam tanto exemplo excitata se pedetentim ostendere et late clarescere cooperit.

* * *

Vulpes et Testudo.

Suscepto cursus certamine inter Vulpem et Testudinem, dicitur Testudo se caudae vulpinæ implicuisse, et ita a currente Vulpes raptata fuisse ad locum præfinitum. A quo quum proxime abesset, Vulpes respexisse fertur, et per iocum dixisse non se putasse tam celerem esse Testudinem. Haec interim de cauda ad signum conversa, illud arrepare perrexit et, non animadvertente Vulpecula, tenuit. Docet fabula ingenium viribus præstare.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Lixulae ex solanis tuberosis ad Romanum morem.

Lycopersici tritis ovis et faseolis farti. Gallinulae in vaporario coctae, iure concreto conditac.

Boleti edules ad furnum acti. Moretum ex pisis et persicis.

* * *

locosa.

Mater Tuccio aquam in infumibulum effundenti:

— Siste, furcifer; focum enim extinguis!...

Tuccius: — Ne timeas; aqua enim calida est.

Tuccius in schola a magistro percontatus quae lineae verticales, quaeque horizontales nuncupentur, reste respondet. Subdit Magister:

— Quaenam autem parallelæ dicuntur?

Tuccius, post aliquam moram: — Quae ferriviae viam indicant.

* * *

Aenigmata.


I.

Stans obmutesco; quae sim verum tamen aio;
Adstantes unquam cernere sed nequeo.

II.

Sumar depoliendus an exurendus ineptus?
Qui sim nunc totum caput te edoceat.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Casta-Lia = Castalia; 2) Multi-tu-do.



[10]

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

C MAR 40

Ipsam Terram Novam mense Februario per Murdonium fretum reversaram esse in Neoselandiam. Minorem sociorum numerum ex casa prolectos investigandi causa in terram Victoriae excursuros. Postea in eunte aestate illius regionis secum ad polum, qui visi essent idonei, processuros via Shackletonis. Ad ipsum polum venturos circiter diem altissimi solis a. d. xi. kal. Ian. anno 1911. Pro se praefuturum expeditioni Eduardum Evans, subcenturionem, qui Shackletonis fuisset socius, illum igitur et complures alios, tum praefectos militum tum ceterorum ordinem viros iam expertos esse caelum et nives poli. Studiorum principem futurum esse Eduardum Hadrianum Wilsonem doctorem, tertium comitem suum in itinere anni 1902: hunc praecipue observaturum esse, quae pertinerent ad zoologiam.

Quod plurimum tribueret geologiae, tres secum ituros eius rei peritos, praeterea duos qui res marinas cognoscerent, illis instrumenta in quingenta fila¹ comparata esse; Georgium Simpsonem, doctorem, magistrum fore meteorologorum, prospectum iri etiam librandis ponderibus et photographiae lucis antarcticae; quandam peritum examinaturum esse antarcticam glaciem, et medicos expeditionis rationem habituros bacteriologiae et parasitologiae disciplinarumque cognatarum. Omnino quinquaginta socios futuros esse.

¹ « Filum » est mensura longitudinis, quantum est ab extremo dígito medio usque ad extremum dígitum extendorum brachiorum. Est sex pedum et intra centum sexaginta et ducenta centimetrū.

Clemens Markham,⁴ quo nemo magis favebat popularium suorum studiis antarcticis in annulibus geographicis² aperte praedicat nunquam in regiones polares navigatum esse cum copioso appareatu exploratorio. Quidni summa exspectari licet ex incepto, cui et ducis et sociorum insignis ad audendum et ad discendum animus et omne genus instrumenti prosperum eventum conciliatur esse viderentur? Terra Nova Kal. Iun. anno 1910 ab Angliae provecta littoribus, per Bonae Spei promontorium contendit ad urbem Lyttelton, quae sita est in meridiana insula Neoselandiae portus urbis Christchurch. Inde in Kal. Dec. cursum tenuerunt in antarctidem.

Est incredibile, quantum in illam navem congestum fuerit rerum et hominum. Quod spatiū erat sub maiore fenestra habebat quidquid opus esset in terram egredientibus et partem casarum.

(Ad proximum numerum).

¹ Clemens Robertus Markham, Anglus natione, geographus et explorator terrarum, natus anno 1830 in oppido Stillingfleet, quod vicinum est Eboraco, mortuus anno 1916 Londini. Multis editis descriptionibus itinerum, quae in Perua et in Abessinia ipse fecerat, optime de geographia est meritus. Duodecim annos, ab 1893 ad 1905, praefuit societati geographorum Londonensi.

² « Annales geographicos » dixi, qui Anglis sunt *Geographical Journal*. Commentarios vel diarium geographorum dicere potui.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS